

prevento, vel ex alio impedimento legitime impedito per eum huiusmodi pal-
lei exhibitio fieri non posset. Nos dispendiis eiusdem Vpsalensis Ecclesie
paterna sollicitudine precavere volentes, Fraternitati vestre per apostolica
Scripta mandamus, quatenus eo casu si contingeret vos, vel alter vestrum
dictum palleum, et ipsas formas a Nuntiis ipsis vobis faciendas exhiberi,
palleum predictum juxta premissas formas hac vice auctoritate nostra Electo
assignetis eidem predictarum litterarum nostrarum dicto Archiepiscopo di-
rectarum tenore servato. Ceterum non intendimus, quod propter hoc eisdem
Ecclesiis, vel earum alicui circa premissa, vel aliquod premissorum in per-
secutione sui juris petitorio vel possessorio jus aliquod accrescat, vel decre-
scat, vel alias quomodolibet derogetur. Datum Rome apud S. Sabinam XV
Kal. Jun. Anno Primo.

1726.

1285 d. 25 Juni.

Lödöse.

Konung MAGNUS Is på begäran gifna ledebref på 8 dagar för Johan Little och Tyska sjö-
städernas fullmäktige, för att infinna sig till en öfverläggning.

L. c. 141 *).

Omnibus, presentes litteras inspecturis, MAGNUS, dei gracia Sweorum
gothorumque rex, in domino salutem.

Notum facimus, quod nobili et honesto viro Domino Johanni Litla et
nunciis ciuitatum marithimarum theotunicarum, eis quoque, quos secum ex
parte dilecti fratris nostri, Domini regis dacie, habere uoluerit, pro nobis
et nostris omnibus, omnibus quoque pro nobis uolentibus facere vel dimit-
tere, ad nos veniendi, nobiscum morandi et placitandi et a nobis iterum
recedendi, omnimode securitatis conductum concedimus per presentes, non
ideo quod ipsis de securitate possit habere diffidentia, sed quia dominus
Wislawus, nobiscum personaliter colloquens, a nobis uoluit hoc habere.
Hunc autem conductum ad octo dies durare uolumus et ualere.

In cuius testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Da-
tum apud Lódhos, Anno domini M^o CC^o LXXX quinto, VII. Kal. Julii.

1727.

1285 d. 3 Juli.

Gullbergshed.

Konung ERICUS i Norge förklaring rörande den förening, som blifvit bestämd att med flere
Tyska Städernas fullmäktige uppgöras i Kalmar, samt begifvande under det utslag, hvilket
Svenska Konungen Magnus deruti kan komma att såsom högsta domare gifva.

L. c. 141 **).

Omnibus, presentes litteras inspecturis, ERICUS, dei gracia Rex Nor-
wegie, salutem in domino sempiternam.

*) Efter originalet i Lybeck.

**) Efter originalet med bibehållet sigill, förvaradt i Lübeck.

Notum facimus vniuersis, quod nos de consilio sapientum regni nostri, cum discretis viris, Johanni monacho et Vromoldo de quinque domibus, de lubeke; Hassone de Cruowe, de Wismaria; Alberto Spizcenagel, de Roztok; Gorschalco, dicto vnververde, de Stralessunde; et Hinrico de Wolegost, de Gripeswolde, procuratoribus et nunciis dictarum Ciuitatum, in presencia magnifici principis, domini Magni, dei gracia Sweorum Gotorumque regis illustris, super dissensionibus et causis, que inter nos regnum et subditos nostros ex vna parte, et dictas Ciuitates suborte sunt ex altera, placitauimus et conuenimus in hunc modum, quod nos in festo beati Michelis proximo venturo, duos viros discretos, quos nomine nostro ac subditorum nostrorum, Judices decreuimus eligendos, et duos procuratores ydoneos apud Kalmarniam in Swecia destinabimus: Qui Judices, vna cum duobus viris discretis, quos queuis Ciuitas pro se et suis Ciuibus Judices elegerit, in presencia dicti domini Sweorum Regis, causas et querimonias, coram eis in eodem loco mouendas et proponendas, ex vtraque parte audire, discutere et judicialiter decidere possunt, prout justum fuerit; et quicquid Judices cuiuslibet Ciuitatis vna cum nostris concorditer fecerint et diffinierint, Illud debet per omnia firmiter obseruari. Si vero discordauerint ratum et firmum permanere debet, absque appellacionis remedio, quicquid idem dominus rex Swecie, tamquam summus Iudex, super hiis factis, de causis singulis, secundum deum et conscienciam suam Juste duxerit iudicandum. Vnde Idem rex Swecie iurauit, quod de omnibus inter nos et prefatas Ciuitates iuste debeat iudicare. Ita eciam quod omnes cause, que mote fuerint in loco et termino supradictis, ab illa die terminari debent infra mensem, cetera vero cause, que ibidem mote non fuerint, proponi debent et terminari per modum superscriptum in colloquio celebrando, inter nos et fratres nostros, reges Swecie et dacie, apud Gulbergsheid in octaua natiuitatis Johannis baptiste anni proxime venturi.

Quicumque eciam pro aliqua causa condempnatus fuerit, per dictum dominum regem Swecie, aut iudices memoratos, ad penam pecuniariam exsoluendam, satisfacere debet actori, a tempore late sentencie infra Annum; sentencias autem, quas idem rex Swecie vel iudices dicti concorditer tulerint, gratas et ratas habere debemus et in subditis nostris fideliter exequi toto posse nostro, quando nobis hoc per litteras domini regis Swecie fuerit nunciatum.

Promisimus fide media et iurauimus insuper, ac nobiscum dominus dux, frater noster in christo karissimus, si de nobis humanitus quid contingat, omnia et singula superscripta et infra scripta absque fraude qualibet firmiter obseruari, et captis de dictis Ciuitatibus, qui tempore placitacionis apud Gulbergsheidh nunc habite detinebantur, in regno nostro cum

rebus, quas tunc habuerunt, licenciam liberam ad propria redeundi concedere.

Promisimus insuper, quod mercatores dictarum Ciuitatum ab octo diebus post festum beati Jacobi apostoli, primo venturum, cum plena securitate possunt venire in norwegiam et sua ibidem exercere mercimonia, ac vti libertatibus melioribus, quas temporibus illustrium regum patris nostri et domini Haquini, aui nostri, habuerunt et ostendere possunt per patentes litteras eorundem regum, dummodo nostrates in predictis Ciuitatibus tali gaudeant in omnibus libertate, qualem aliquo tempore habuerunt in dictis Ciuitatibus meliorem; et dicte Ciuitates inimicis nostris, nos et regnum nostrum ac subditos contra iusticiam inpugnantibus, vel nobis aut nostris iusticiam denegantibus, non impendant consilium, auxilium uel fauorem publicum uel occultum, in nostrum vel nostrorum preiudicium vel grauamen.

Si vero aliqui de nostratibus, mercatoribus earundem Ciuitatum in aliquo iniuriati fuerint, debemus, prout facti qualitas exegerit, secundum leges patrie conquerentibus facere iusticie complementum.

Inter regnum nostrum et dictas Ciuitates, pace perpetua nichilominus et concordia stabili perdurante, placitatum est eodem modo pro ciuitatibus Rigensi et Wisby in gotlandia, et pro rathabicione dictarum ex parte Ciuitatum, supra dicti procuratores lubicensis iurauerunt et fide media promiserunt.

Preterea volumus, quod alie ciuitates, quarum procuratores non interfuerint supradicto colloquio, hac compositioe includantur, dummodo iurauerint et consimiles litteras nobis dederint, quod premissa omnia voluerint obseruare.

Datum apud Gulbergsheidh, anno domini M^o CC^o LXXXV^o, tertia feria post festum beatorum petri et pauli apostolorum. Anno vero regni nostri sexto.

1728.

1285 d. 3 Juli.

Gullbergshed.

Konung MAGNUS Is i Sverige förklaring om åtagandet, att i Kalmar på bestämd dag, i tvisten emellan Konung Erik i Norge samt Norges rike å ena, och flera uppräknade Tyska handelsstäder å andra sidan, afgöra allt hvad icke genom deras fullmäktige afgöres.

L. c. 143 *).

Omnibus, presentes litteras inspecturis, MAGNUS, dei gracia Sweorum Gotorumque rex, salutem in domino.

*) Efter originalet, med ännu vidhängande Kongl. sigill, förvaradt i Lybeck.